

Christi mystice praeter intentionem auctoris explicantur. Ita e. g. sub filio prodigo quis peccator (sensu expresso gentes), sub Samaritano misericorde Christus, sub viatore despoliato peccator vel natura humana (revera genus humanum) potest intelligi. — Deinde mystica interpretatio est in partibus parabolarum, ornatus et vividae orationis causa adjectis, sensum dogmaticum vel moralem, a consilio Christi alienum, quamvis objective verum et pulchrum, quaerere, quod saepe fieri solet. Ita e. g. in parabola filii prodigi per siliquas porcorum luxuriae delicias, in parabola Samaritani per Jerusalem statum gratiae, per Jericho statum peccati, per latrones daemones, per vestimenta virtutes, per vulnera peccata, per viatorem semivivum hominem, corpore mortalem anima immortalem, per sacerdotem et levitam legem et prophetas, per oleum et vinum gratiam vel sacramenta (aut sermones Christi), per hospitium ecclesiam nonnulli intelligunt.

Fallax est ille *sensus mysticus*, qui in demonstratione et erudita exegesi tamquam sensus verus, — translatus, realis, vel spiritualis — ab auctore Scripturae saltem principali intentus et expressus proponitur. Haec interpretatio sensum quidem propiorem praeter mysticum admittit; verum in praxi facile in negationem sensus litteralis labitur, ut historia teste factum est.

Falsus sensus mysticus olim vocabatur allegoricus, (potius allegorizans), spiritualis, occultus vel sublimior. Multi autem recentiores sub sensu mystico eum, quem nos spiritualement appellamus, intelligunt.

Falsa interpretatio mystica est personas ac res in Bibliis descriptas vel facta narrata sine justa causa pro signis aliarum personarum, rerum atque aliorum eventuum sublimiorum vel occultiorum habere, et ita duplicem in iis sensum temere statuere: proprium et translatum, vel litteralem et spiritualement. Pejus adhuc hujusmodi interpretationis genus est nativum ac propiorem sensum denegare et facta biblica in meras allegorias convertere; id quod Philo Alexandrinus, rabbini atque Origenes fecerunt, et hodie quoque nonnulli rationalistae faciunt. Haec tamen non interpretatio est, sed depravatio.

Ceteroquin vox *mysticus* e voce Graeca *μύω* claudio, ocludo derivatur, et significat rem oclusam, occultam, arcanam; praecipue apud veteres significavit doctrinam religiosam, a rudi plebe absconditam seu esotericam (mysterium). Alii tamen aliam vocis rationem afferunt, eam a voce Hebr. *מִסְתָּר* vel *מִסְתָּרִים* (ex *סָתַר* tegere, velare) = latibulum, latebra derivantes.

Sensus mysticus intuitu argumenti ita dividitur, ut alia sensus genera: in *historicum*, *dogmaticum*, *moralem*, *propheticum* et *anagogicum*. Veteres eum cum sensu spirituali saepe confusum

eodem modo, quo spiritualement dividebant: in *allegoricum*, *tropologicum* et *anagogicum*.


5. — *Sensus consequens* (*porismaticus* ex *πορίζω* movere, concludere) est consecrarium sensus veri, quod verbis textus formaliter non inest, sed ex iis ratiocinatione legitima colligitur. In tali ratiocinatione una praemissa est sensus verus, quem textus formaliter continet; altera praemissa veritas aliunde (ratione, experientia vel testimonio) nota; conclusio syllogismi est sensus consequens. Patet, sensum consequentem, quum verbis expressus non sit, (hermeneutice) verum sensum dici non posse; tamen eum legitime deductum verum esse objective. Utrum Spiritus S. ejusmodi sensum, quem certe praevideat, etiam intenderit an non, disputatur. (Cornely affirmat.)

Patres nonnunquam etiam sensum consequentem sensum moralem, allegoricum et spiritualement vocant. Quidam autem recentiores per sensum consequentem sensum implicitum falso intelligunt.

* * *

Varias sensus species uberius tractant: Fr. Patrizi (Patritius), De interpretatione scripturarum sacrarum, Romae 1876. Wilke, Bibl. Hermeneutik, Würzburg, 1853. 21—49. Reithmayr, Bibl. Hermeneutik, Kempten, 1874. 15—60. Cornely, Introductio gener. Paris, 1885. 513—549. Zapletal, Hermeneutica bibl. Friburgi, 11—54.

Ad juvandam rei satis contortae et difficilis intelligentiam conspectum divisionum sensus, additis sensus translatis et realis speciebus, sequenti tabula exhibemus.



PARS SECUNDA.

INVESTIGATIO SENSUS (HEURISTICA).

SECTIO PRIMA.

Heuristica rationalis.

§ 18.

Norma interpretationis rationalis.

Heuristica sensum investigat.

Heuristica biblica rationalis S. Scripturam ut *librum* spectat, et secundum universales hermeneuticae regulas sensum ejus scrutatur; — natura Scripturae supernaturali (inspiratione et authentica interpretatione) interim praetermissa. Notandum tamen est, hanc Scripturae tractandae rationem nisi in theoria ad pensum dividendum et per partes absolvendum licitam non esse; in praxi enim S. Scripturam tamquam communem librum tractare esset naturam ejus propriam negligere et valde irrationabiliter agere.

Investigatio sensus rationalis examinare debet *consuetudinem sermonis* seu *linguam, contextum et auctorem ejusque conditionem internam atque externam*; itaque sensus investigatur via *philologica, logica ac rhetorica item psychologica atque historica*. Lingua contextusque internam orationis naturam, conditio loquentis externam sermonis relationem efficiunt. Triplex haec via indicat divisionem heuristicae rationalis in tria capita, quorum

1. primum agit de *consuetudine sermonis seu de investigatione sensus philologica*,
2. secundum de *contextu, id est investigatione logica ac rhetorica*,
3. tertium de *conditione loquentis interna et externa scilicet de investigatione sensus psychologica atque historica*,